

P V I S



1 6 0 5

XL.
40

ORATIO

Ex more

COLLEGII
PHILOSOPHICI
SOLENNITER
HABITA
IN DIE AECATHARINES.

á

Iohanne Maiore D.



bq.

VVITEBERGAE,

Excudebat Zacharias Crato.

ANNO CID. ID. XXCVII.

56 a

ORATIO.



I quis in hoc cœtu nostri rudis
incola moris
Conventus ratio quæ sit,
& unde, roget?
Is si percipiet, leges sic ferre; qui-
escet:
Hasq; sequi, dignum laude
putabit opus.

Nam Deus in mundo congressus servat honestos,
Ut repetant vocis semina sana piæ.

REX equidem infernus cœtum delere sacratum
Per vim, per vocum subdola texta parat.

Quid sibi nunc aliud vult Papæ exercitus ingens,
Quam cœtum ut laceret, cui fayet aura Dei?

Sed non arma manu abijcimus statione relicta;
Nam Deus in cœtu vult habitare sacro.

DVM pia conventus ratio sit reddita nostri:
Nunc ornabo diem versibus, atque Deum.

Ferre preces, nusquā fraudi est; Deus ordine certo
Instituit populis annua sacra suis.

Festa dies, suspendit opus; sed reddere vota,
Ac oracula Dei volvere, munus erat.

A 2 Dumq;

Dumque vacant libis: Ceu Nili à rege redibant,
A nece sic reduces se fore, mente notant.
Luce datæ Legis: noua lex, aut semina Flatus
Prima sacri, caussas ad pia vota dabant.
Vmbra casæ; exilij monuit: tum Numinis umbræ,
Et læti redditus læta sub arva poli.
Factus honos templo; notat hos genus esse sacratum,
Et cui voce sua gaudet adeste Deus:
Quodq; manum arcano supremam imponere tēplo,
Tum lustrare situ, tum renovare velit.
Quod Salomon finxit, Nehemiæ cura refinxit,
Cultibus & falsis tu Machabæe leuas.
SEMPER ad Antiochos ulti velut æthere venit,
Qui vi fatali vertit inane sacrum.
Crede mihi, Deus hunc ardorem in pectora spirat,
Vnus ut in numero conserat hoste manus.
Gentis homo nostræ, cui vox, & spiritus ingens,
Clara metalliferis extulit ora iugis.
Cùmque Dei cultus datus esset inanibus umbris,
Araque res Christi venderet ære leui:
Terque, quaterq; caput circum fundam egit in auras,
Impulit & Latij vim, soliumque patris.
Vir sine vi ferri, vi verbi, & inermibus armis;
Vir sine re, sine spe, contudit Orbis opes.

Quæris,

Quæris, quo comite, & quibus adiutoribus usus?
Ad tot Crabrones unica pugnat apis.
Parvus homo, virtus cui corpore maior, & annis,
Virtute & pietas, ingenioque fides:
Parvus homo, magnū instar habens virtutis, & artis,
Iunxit se socium corpore, mente, fide:
Qualem Christophoro parvum attribuere ministrū,
Cum face qui duxit per loca senta situ.
Rebus enim lucem dat Dædala penna Philippi,
Et captu faciles ars operosa facit.
ERGO Deo grates fert noster carmine cœtus,
Corda quòd ad Natum vertit anhela suum.
Quamque sinis patrij rationem voce retexit
Filius, os pulcrum, singuaque blanda patris:
Aque satu mundi per Vatum oracula pandit:
Perque sacros sparsit voce subinde patres:
Vsque vices horum supplens, cœti perpeti nexu,
Seruat in alueolis hīc, alibiique pijs.
NON hominum sensu, ac iniusto more sacrorum:
Voce Dei extruitur cœtus in Orbe pius.
Hancque Dei vocem, non aut inductio mentis,
Vllius aut artis vis, ratioque regit:
Non etiam stupor, & vertigine spiritus actus:
Sed fidei articulis consona norma fouet.

A 3

Nam

Nam quod doctrinæ genus hic amplectitur ordo :
Non male collecta de ratione satum est,
Non ex contortis spinis, & acumine plenis,
Ceu sunt Autolyci furtæ, coiuit opus.
Nectales habuit, quales à Socrate lusos
Cernimus autores, quos sua fama movet :
Aut litis studium, ac auræ popularis, adegit
Ciuilem motu dissociare statum.
Sed Deus eliso doctrinæ semine prauæ
Artes in solidum, sacraque vera tulit.
Nam tenebræ ac spinæ munus vocale premebant,
Ad cœlum rectæ nec sonuere preces.
Quisque sibi autores opis, atque salutis habebat :
Nec Christus tutor, sed modò censor erat.
Quique precum soli Christo debentur honores :
(Est Deus : & qua sit sede, colendus erit ;)
Hos ad se rapuit cantati iniuria farris,
Fecit & ex signis numina cultus iners.
Qualia quotidie nasci videre priores
Pistorisque foco, Flaminis inque manu.
Non animam in lucta erexit fiducia Christi,
Spesue, quod in venia sit, vel amore Dei.
Nullaque vox versos iterum ad meliora levavit
Quod, vel qua placeant hi ratione Deo.

Iusti-

Iustitiam Fidei in nullo discrimine habebant
Cum morum cura, iustitiave fori.
De meritis Christi nulla in sermone facultas,
Quem nisi crux referat querna, fuisse negent.
Materies fandi, vel disciplina: vel umbra:
Aut veterum ex gestis fabula rebus, erat.
Pars, tantum in Sophiae præceptis detinet aures,
Et laus virtutum pulpita sacra ferit.
Omnia perverso fervebant atria cultu;
Hic farra in caueis: ille colebat ebur.
Mox anus ad terram pando se sternere tergo,
Et vota ad lapides fundere, nulla Deum.
Deque alijs caussis alij diversa colebant
Numina, quo sortem, lassaque niébra levent.
ANNA facultates, cui nomen gratia fecit,
Iunonis veteris credita ferre loco est.
Vim dabat acceptis in Marte Georgius armis;
Rege satam Costo turba diserta colit.
Hoc chaôs errorum tunc totum perculit Orbem,
Dedecore afficiens vulnera quinque Dei.
Quantum flagitij tulit exors vita cubilis?
Ardor in hac vagus est, atque ruina tenax.
SED Deus excitis miranda sorte magistris
Omne sacri officij sorde levavit opus.

Nos-

Nosq; æui veteris consensum voce professi
Vertimus à monstris candida corda vagis:
Ac usu Sophiæ, puris ex fontibus haustæ,
Notitiæ serimus semina certa Dei:
Quiq; homini possunt facere, & seruare salutem
In cœtum facili spargimus arte sonos.
Non damus ad motum caussas in fœdere vitæ,
Proq; capræ lana regna movere iuuat.
Non nova, seu reiecta prius portenta tuemur;
More libet prisco credere, & ore loqui.
HINC quasi doctrinæ celebrat renoualia ludus
Declinans veteres in pietate situs.
O utinam verè renoualia dicere possem;
Plus esset studij, desidiaq;que minus.
Nec nos qui Sophiæ colimus penetralia sanæ
Ausonij sequimur sacra, diesque lupi:
Sed versum in melius ritum revocamus avitum;
Tempora nil animis, sed sacra ficta nocent.
Cœtibus his aliqua doctrinam parte sonamus,
Assertam ex tenebris sorte Luthere tua.
Est fidei ratio tibi Carole redditæ nostræ,
Actus ubi Augusta cœtus in urbe fuit.
A qua non equidem latum discedimus unguem,
Nec mens nostravagum, linguaq; uersat opus.

Quæ

Quæ natura adeò distorto prædita sensu est,
Cui præ fruge data glans vetus illa placet?
Sed benè digestos autore Melanthone libros
Est labor ætati proposuisse rudi.
Hi quia doctrinæ solidas res ordine tractant:
Corporis ut neruos, sic quoque nomen habent.
Planius expositum est, & forsitan plenius illic
In quo se uertat cardine lucis opus.
Hoc corpus sequimur, fugimusque fideliter umbras,
Et quæ discurrunt nocte silente faces.
Pontificis Corui tractent exangue cadauer
Fætore incestans omnia templa suo.
Deceptus recti specie quam plurimus ordo
Nunc redit ad Christum, priscaq; monstra fugit.
Est, & erit cum flore suo doctrina Philippi,
Veraq; ad incumbens palma resurgent onus.
In terris cui nulla quies à sorte docendi:
Pax à discipulis non venit in tumulo.
Delectat varium, communia spernimus omnes;
Vulgus & absurdis præ ratione fauet.
Sed ratio verax, ut Sol, resplendet in auras;
Ut premat hos, nunquā deprimit umbra tamē.
NIL quam notities Patris, & fiducia Nati
Acceptos homines efficit esse Deo.

B

Hæc

Hæc & in articulis consistit nixa duobus;

Alter personæ, muneris alter erat.

NEstorij fraudes confutat, & Eutychis omnes,

Personæque uni fert genus esse duplex.

Hæc neque disiungit, neque miscet vocibus, aut re;

Vt ius, ac actus sint in utrisque sui.

Hæc duo confundens uerbis, re tollit utrumque;

Hæc duo distinguens, seruat utrumque genus.

Vnaque cùm non sit natura, quod altera tantum est:

Tunc neutra alterius iura, nec acta tenet.

Quòd natura hominis, personæ consita VERBI est:

Crux à personæ tota valore valet.

Hinc non sufficiens modò, sed super omnia abundas

Fit Fidei obiectum mors, meritumque DEI.

Exors mensuræ meritum, & sine fine vocatur,

Cùm sit personæ fine carentis opus,

Pertinet ad solos ea vis immensa capaces:

Tunc meritum est usu, si capit æqua fides.

Quāta est vis vicibus? Nam dū mea crima Christus

Non sua persoluit, crimine soluor ego.

Totaque sit quamuis Christi persona saluti,

Dum meruit nobis, ac operosus inest:

Ac bona cum Nato nobis Pater omnia donet:

Attamen in meritum respicit ista fides.

HIS

HIS lucem dedit arte sua , ambagesque resolut,
Quas inculta cohors nexuit ante dolis.
Cuius cum fuerit sententia congrua vero :
Hanc iuvat ad natos ferre , iuvante Deo.
Est opus ad seros dare pignora clara nepotes,
Ne Papae obtineat falsa querela locum.
Hisque notis moniti , fontes inquirere discant:
Fons ad flectendum pectora , robur habet.
Non Eridos pomum medium iactamus in agmen ,
Semina nec litis spargimus ulla domi.
Nec quia Thersitae gravis est haec fama Philippi ,
Haec erit a studijs vox aliena suis.
Ilia rumpantur coruis , qui funera carpunt:
Non est ingenui dissimulare fidem.
Namque rudes rerum gestarum , & temporis acti
Hortamur melius de meliore loqui.
Vt si membra velint ludi praelustris haberi:
Quae fuerit patrum vox , animusque , sciant.
Cumque Deus sacris censores coetibus addat ,
Qui res discutiant arte , fideque , graves:
Hos ego qui solidè res percepere sacratas
Arbitrij autores ferre paratus ero.
Vult Deus ad sacros nos ferre negotia coetus;
Ergo concilij res agitare , pium est.

B 2

Qui

Qui vim iudicij timet, huic sua cauſſa pudori est;
Lux odio est illis, qui petulanter agunt.
Quōd florent hodie diuina, humanaque ſcripta:
Florent ingenio culta, Philippe, tuo.
Non tantūm in flexu ac ſtruſe vocū, & Pallade utraq;
Clarus eras, quanuis ſic quoque clarus eras:
Cunarum labore ſt̄ benē ne cetera verba tuarum;
SED: SOL IN SACRIS ARTIBVS ALTER ERAS.
Ut qui Lufciniām non agnouere magistram:
Hos verus vates monſtra Luthere notes;
Monſtra, per Arcadicos errant quā plurima ſaltus,
(Quēis ſenior Bacchi vectus alumnus erat.)
Hos Nōa turbantes ſua uerba, excludit ab aris,
Ac in pistrinum post mala fluxa dedit.
Voce graui, pulſuque pedum ſacra verba premebat:
Hinc & tecta colunt irrequieta molæ.
Discite Grammaticam, & ſapienter tradite verbum,
Et genus in ſpecies ritē ſecate ſuas.
Verba Dei prauè collecta, nec eruta recte,
Non ſunt verba Dei, ſed ſine mente ſonus.
Voce viros mallem, quam voces arte carentes;
In re, non ſonitu, ſtat pietatis opus.
In rerum ſenſu, ſapientia vera locata eſt,
Quem ratio linguae protrahit, arsque regit.

Si

Si quis enim ignorat quæ sit vis insita voci,
Nec bene distinguit res quoque lap suserit.
Idque æui exemplis nostri conuincere vellem,
Temporis h̄ic ratio n̄ sit habenda mihi.
Has Deus indulxit nobis, ut munia vitæ
Harum præsidio fulta potenter eant.
De luce ingenita iam vix scintilla superstes
Notitiae in cerebri sunt regione sitæ.
Hæ sunt ceu fomes, vel fons, uel semina quædam
Ars unde, & uirtus fert generosa pedem.
Ex his indicibus doctæ de foedere mundi
Senserunt gentes numen inesse polo.
Ex his naturæ species patefacta renidet:
Et ratio morum, præsidiumque fori.
Tum lepor orandi: tum calculus, atque sonores
Ex his seminibus germina vera trahunt.
O SI conuentus ageret modò splendidus ordo,
Perque uices habitos hauriat ipse sonos:
Certior ut factus de cardine litis acerbæ
Res utrinque bona cum ratione libret:
Sic fieret planum, quam veri effœta sacerdos
Res sine re, sine vi uerba, sine arte ferat.
Qui spem pollicitis vobis, sed fecit inanem,
Et uagus impostor nil nisi uerba dedit.

B 3

Perti-

Pertinet ad partes procerum hæc quoque cura piorū,
Ponere dissidijs, criminibusque modum.

CEV Serpens alitur palma, palmaque necatur:

Sic hos verba necant, qui male verba citant.

Si qua Dei ratio tamen est: amor excitat artem,

Quam rectos sensus eliciuisse iuvat.

SED SERVARE STATVM PRAESENTEM, ET QVAERERE
REGNVM

IN MENTES, AMOR EST PRAE RATIONE DEI.

Vir pius, arbitrijs caussam, & se subiicit ipsum:

Nemo simul rectè censor, & actor erit.

Vnus enim, ac alter decreta in fornice condens

Non vi prætoris cogere corda potest.

Arané suggesto dominos imponat acerbos,

Quos fora de folio præcipitanter agunt?

Omne iugum facile est, nisi sit cum vulnere mentis;

Sed qui falsa sciens fertue, facitue, perit.

Corpora permisum est vi cogere, si tamen æqua est;

Imperium in mentes solius omne Dei est.

Dilige pacis opus, sed sit pax æmula veri,

Pax extræ verum nulla salubris erit.

Non hominum iussis, expresso nitere verbo:

Consensus nihil est, si mala caussa subest.

An non in Christum consentit Turcæ quid inde?

Relligio Turcæ non tamen æqua venit.

Non-

Nonné dolos summo consensu Papa tuetur?

Fraus est, non pietas, quòd pia farra colit,
Sæpè potest recti specie mens optima falli;

Sed nō quām Deus est, pluris habendus homo est.

NAM uelut est castris acies digesta per orbem:

Talis & in cœtu est ordo, modusque sacro.

Non est congeries hominum ratione carentū,

Cui motus modus est, fœdaque vota Deus.

Nec sine præceptis Sophiæ se ad pulpita tollit,

Ceu se lumbricus tollere sueuit humo:

Aut ceu Titanes subito emersere sub auras:

Vtque una fungi crescere nocte solent:

Rerum certa fides ubi nulla, licentia vocum,

Vis pro iudicio, pro ratione furor:

Fulmen ubi assiduum, sed brutum; quē tamen afflat

Hunc fœtere facit, quā rude vulgus erit.

Hæ tibi sunt artes, niti popularibus auris,

Ac ad fæmineos fingere verba sinus:

Subiçere offensæ procerum meliora professos:

Vim struere, & blanda condere fronte scelus.

Sunt, qui ius alijs, nullum sibi dicere mālint,

Probraque ferre domo, nulla refre domum.

Hos ego sic sentire velim: periura licere

Vt simile accipient aure, quod ore ferunt.

Non-

Nonne repercussæ docet hoc te vociis imago?
Si quis clamat ὄντα, sylua reclamat ὄντα.
Sensus utrinq; idem est; nisi dum tu græca sonabas,
Sylua tibi voluit Teutona verba loqui.
Si crimen facere, est pro virtute putandum:
Dicere me crimen, cur mihi turpe putem?
SED tunc fit species quasi pulchrior agminis huius,
Cùm se sc officijs æmula turba iuuat.
Ordinis & nostri plures pia fœdera iungunt,
Et re declarant, colloquijsque fidem.
Summa Dei Nati cum sexu gratia nostro est;
Exemplo doctis sit precor illa viris.
Non spargant lolium, sed amantes semina veri
Hoc lacerum corpus, qua datur arte, leuent.
Nos ideo colimus cœtus, ut felle remoto
Alter ab alterius pectora formet ope.
Nec litis studio, sed veri propter amorem
Mutua quærendi forma, recepta scolæ est.
Quærendo excutitur verum, & secernitur error,
Qui veri specie fallere sæpè solet.
Tecta sacro velo fraus, sæpius æmula veri est,
Solaque lanx fidei rem, stipulasque probat.
SED seruare modum, laus est; nimilimque mouēdo
In dubium trahit ura religiosa fides.

Est pi-

Est pietas, moderata sequi, cœtumque tueri,
Et ne sint partes, parte cavere sua.
Est opus alterno congressu, usuque laborum;
Vita hominum alterna vult ratione regi.
Qua pietas, artesque locum regione tenebunt:
Pax ibi cum nidis corpora nostra teget.
Usi pace sumus, sed linguis cudimus arma;
Quam vereor Veri ne fera subsit hyems.
Quam lacera & sacri cœtus sit forma, videmus;
Hinc illinc aliquo vix lare sacra colit.
Cumque vident illum non vi, non ordine fultum:
Iudicia ex omni parte sinistra subit.
Quenque sua & cruciat sors: & sic pectore querit:
An ratio, aut sacris cultibus usus inest?
Quid sibi vult Christi nomen, nisi dona, nec arma
Mira, suis luctis sentiat ægra fides?
Si caussa est melior: cur nos in clà de relinquit,
Cur pro reiectis nos sinit esse Deus?
Percellunt animos tot dira euenta: timentque
Interitum legum, conciliisque sacri.
Ac tot fata monent, homines non arte sagaci,
Sed vi diuina sacra, forumque tegi.
Id te, meque Deus vult grata expendere mente,
Tegmen & ex ipso non aliunde peti:

C

Néue

Néue animo fracto simus: promissa reclusit
Ipse Deus, quod gens sacra superstes erit.
Ergo aliqua extabit statio, vi prædita legum,
Doctrinæ forsitan quæ dabit alma casam.
HIS super erecti spe: munia iussa subimus,
Et res asserimus voce tenace pias.
Amittenda licet bona sint, domus, uxor, alumni;
Ceu tandem amitti talia morte solent.
Impellunt proceres ad nos ferro, igne, sequendos;
Quid tum, si viuit, qui videt ista, Deus.
Is, quæ subiectis nos vestibus ausa movere est,
Fraudem inventoris torsit in ora sui.
ET SI nos igitur terrere pericla necessè est:
Ut plæriique locum, quo cecidere, cavent:
Non tamen ad strepitus animum submittimus ullos;
Turpe, movere viros à statione pedem.
Titanae perhibent Afini clamore fugatos;
Ex terra genitos fulmina bruta necant.
Id præstare virum sapientem in rebus oportet
Fortunæ culpam ne metuisse queat.
Iussa Dei, & spes auxilij, sunt umbra piorum;
Si venit his ducibus, mors superanda venit.
His regitur labor, & felix datur exitus ipsis;
Sed tamen in nobis sit pius artis amor.

Nam

GENE^{RE} ET CULTUS S^ENT^E R^EMI

Nam si præstigia sⁱ rectè convellere cordi est:

Ex usu Sophiam noueris esse tuo.

Vult Deus esse gregem qui tradat, & hauriat artes:

Artes qui repulit mente, repulsus erit.

Sit calor in studijs, divina ut iussa sequaris;

Cùm v^elit agnoscⁱ: vult sua verba legi.

Dum linguæ virus crescit: tunc corda necessè est:

Doctrinæ succis reddere tuta piæ.

Nos facies rerum moveat fomenta malorum

Quæ rere, vel dubijs poscere rebus opem.

Tecum Natae Dei loquitur, qui tradita perte

Verba pio studio legit, & hausit homo.

Non iter ad cœlum est, nisi sacra per ostia verbi:

Vult igitur studijs corda vacare Deus.

SED quia pax nutrit, quas bellum dissipat artes:

Pacis amans princeps, ceu Deus artis erit.

Quare, si pietas, si pignora, vitaque curæ est:

Huius pro vita fundite vota Deo.

Nanq^{ue} per hunc nobis Deus hæc salua omnia reddit,

Quæ clades alibi bellica sternit humi.

Vt, si nostra quies aliorum ad fata feratur:

Nos hinc translatos lucis ad arua putas.

Huc accedit amor pietatis, curaque legum,

Vt vocet hunc patrem plebs, eques, atq^{ue} patres.

C 2.

Sic.

EX^{CE}PTU^S S^ENT^E R^EMI

Sicque in parte sui versatur muneris omni,
Vt spem præueniat moribus, ære preces.
Hoc sua fors habet: ut possit: natura sed illud,
Vt, qui Dux noster sit, pater esse velit.
VOS hæc quæ placidè dixi, placida aure bibistis,
Et sic ornati sunt Deus, atque dies.

DIXI.



Jf 4600

ULB Halle
003 299 04X

3



St.

107



Farbkarte #13

B.I.G.



XLI.
40
ORATIO
Ex more
OLLEGII
HILOSOPHICI
SOLENNITER
HABITA
N DIE AECATHARINES.
á
Iohanne Maiore D.

VVITEBERGAE,
Excudebat Zacharias Crato.
ANNO CIC. ID. XXCVII. •